This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

3 2044 075 426 387

SCHMIDT

Symbolae ad Vitam Gregorii Haloandri

1866

HD
GER
909
HAL/S

HARVARD
LAW
LIBRARY

Digitized by Google

Digitized by Google

LANDSBERG

VIRO

PERILLUSTRI AC SUMME REVERENDO

D. GUSTAVO FRIDERICO HAENELIO

IN ACAD. LIPS. FONT. ET LIT. IUR. PROF. PUBL. O. ORDIN. IURISCONS. SENIOR. ECCLES. CATHEDR. MERSEB. CAPITUL. PRAES. REG. SAXON. A CONSIL. AUL. ORD. REG. SAXON. PRO MERITO AC FIDE EQUIT. CAET.

LAETAM DIEI XVIII M. APRIL. MDCCCXVI MEMORIAM

QUO

ANTE HOS QUINQUAGINTA ANNOS

SUMMOS IN IURE HONORES

RITE ADEPTUS EST

PIE GRATULANTUR

ORDINARIUS, DECANUS ET RELIQUI PROFESSORES

ORDINIS IURISC. LIPS.

INSUNT

DECANI BERNHARDI SCHMIDTII SYMBOLAE AD VITAM GREGORII HALOANDRI.

LIPSIAE,

TYPIS A. EDELMANNI, TYPOGR. ACAD.

HARV-DIF

909
HAL

Digitized by Google

JULY 15 1932

BK 2004

Digitized by Google

Rediit igitur Tibi, Vir perillustris et summe reverende, per annorum decursum numinis divini beneficio dies festissimus et faustissimus, quo ante haec quinque lustra summi in jure honores rite Tibi delati sunt.

Emensus es, quod pro rerum humanarum fragilitate paucis duntaxat mortalium concessum est, curriculum longissimum et eximio meritorum, quibus polles, splendore collustratum. Quam solemnitatem laetissime Tecum, Vir perillustris, celebramus

Digitized by Google

et ea, qua par est, pietate Tibi congratulamur. Quicunque enim et studiorum similitudine et muneris rationibus Tibi conjuncti sumus, non uno nomine Te suspicimus, sed raram doctrinae copiam, insignem ingenii sagacitatem, indefessam in fontibus iuris Romani indagandis sollertiam, non fucatam denique animi probitatem et erga nos omnes benevolentiam in Te veneramur.

Ut omnia paucis complectamur, redivivum Te colimus et admiramur Gregorium Haloandrum, Cygneum, quem in emen-

Digitized by Google

dandis veteribus iuris Romani monumentis et peragrandis literarum causa terris felicissime aemulatus es, in eo autem, ut alia taceam, superasti, quod ille in itinere praematura morte rebus humanis ereptus est, Tu autem sospes et incolumis ad nos redux hujus diei lucem adspexisti, — quos saepissime laude celebrasti, praeclarissimis Jurisconsultorum Saxonum nunc ipse nitidum decus atque ornamentum.

Faxit providentiae divinae benignitas, ut diu nobis conser-

Digitized by Google

veris et ad summum usque honorificae senectutis fastigium amore nostro frui pergas.

Lips. d. XVIII. April. a. MDCCCLXVI.

Ordinarius, decanus
et reliqui ordinis jurisconsultorum
professores.

Digitized by Google

Symbolae ad vitam Gregorii Haloandri.

In magnis et minima curo.

Gregorii Haloandri ejusque in jurisprudentiam meritorum memoria ne oblivione unquam obruatur, ipsum optimum habemus vindicem. Quum enim in Digestis reliquisque Justiniani libris edendis inter medii aevi Jurisconsultos primus exstiterit criticae et emendatae recensionis instaurator et exemplo suo permultos ad similia studia excitaverit, profecto non est quod miremur, tum aequalium tum posterorum laudibus nomen ejus aeque celebrari et ad lucidissima in hoc genere quasi sidera a gravissimis judicibus referri.[1])

Quapropter nunc non id agimus, ut quae ab aliis de viri immortalis vita ac meritis tradita sunt,[2]) repetita quasi praelectione nunc recenseamus. In eo potius acquiescemus, quae illi uberius

[1]) von Langenn, Melchior von Osse S. 11.

[2]) Quos Hauboldus, inst. j. Rom. liter. tom. I. p. 82. not. c., allegat, scriptoribus ex recentiore tempore addendi sunt: Hauboldus ipse, Opusc. Academ. ed. Wenk tom. I. p. 711. Hugo, Lehrb. der Geschichte des röm. Rs. (Litterärgesch.) B. VI. S. 207 fg. (3. Ausg.) Savigny, Gesch. d. röm. Rs. im Mittel. B. VI. §. 121. S. 444 f. Stobbe, Gesch. d. deutsch. Rsquell. Abthl. II, S. 36 fg. Jansen, Julius Pflug in d. neuen Mittheil. d. Thür.-Sächs. Vereins, B. X, auch Separatabdruck S. 24 fg. u. 44 fg.

Digitized by Google

exposuerunt corollariorum nomine supplere et ubi errasse videntur, pro virili parte corrigere.

Juventuti Haloandri faustissimum sidus affulsisse, nemo negabit. Natus enim est saeculo sexto decimo, aut imminente aut jam exorto,[1]) quo tempore humanitatis studia diu turpiter neglecta a Graecis et Italis pristino honori restituta ad Germanos nuper transierant. Patriam habuit Zwiccaviam, urbem Saxoniae quondam sui juris celeberrimam, quae, quum jam olim literas in sinu fovisset, tunc Stephanum Rothium Latinae et Georgium Agricolam Graecae linguae doctores nacta erat peritissimos. Ita factum est, ut juvenis discendi cupidissimus magistris uteretur inprimis idoneis, qui ingenium ejus optime excolerent et ad limpidissimos verae eruditionis fontes viam ei monstrarent.

Quae hucusque commemoravimus scriptis quidem testimoniis muniri nequeunt, quum nec publicas tabulas natorum nec indices discipulorum Zwiccaviensium ex illis temporibus exstare testes fide digni pro certo mihi affirmaverint, nec ullum aliud de gente et origine Haloandri documentum, quantum compertum habui, aetatem tulerit.

Quod autem sequentes vitae annos Nostri usque ad ejus reditum ex Italia attinet, ex quo ipsius nomen in omnium ore fuit, felicissime contigit nonnulla ex scriniis, ubi latitabant, monumenta in lucem revocare, quae, si cum rebus aliunde notis comparamus, valde mihi idonea videntur ad illustrandas hujus periodi vicissitudines.

Varia enim inter se jactant scriptores.

Hausfritz[2]) aperte profitetur, ad conjecturas confugiendum

---

[1]) Quantum valeat argumentum, quod Hugo l. c. pro saeculi quinti decimi exitu affert, infra videbimus.

[2]) Memoria Gr. Haloandri (Norimb. 1736.) §§. III sqq. p. 6 et 8.

Digitized by Google

esse ac verisimile ducit, Haloandrum, ut in patria schola puerum, ita in Academia Vitebergensi aut Lipsiensi juvenem in Latinas et Graecas literas incubuisse et anno 1518 Zwiccaviam reversum ibi Gregorio Agricolae Graecam scholam aperienti adjutorem sese praebuisse, postea autem a Julio Pflugio Italiam petenti socium, vel adeo ducem adscitum esse. Hugo[1]) his paene adstipulari videtur, cum Haloandrum anno 1518 virum jam studiis perfunctum significet, de quo tamen non constet, num illo tempore jam Jurisprudentiam professus sit; deinde narrat, anno 1520 Haloandrum comitem Pflugii, nec ejus gubernatorem in Italiam profectum et ibi, praesertim Bononiae, usque ad Pflugii reditum anno 1527 commoratum esse.

Parum autem haec conveniunt cum iis, quae de variis peregrinationibus a Pflugio per Italiam factis nota sunt. Pflugius enim jam anno 1510 civibus academicis Lipsiensibus adscriptus primum anno 1517 in Italiam, summum quod tum Germanorum juventus affectabat desiderum, sese contulit ibique, quae jam Petro Mosellano duce Lipsiae amplexus est, in philologiae ac eloquentiae studiis usque ad annum 1521 Bononiae ac Pataviae Romuli Amasaei et Lazari Bonamici auspiciis totum se collocavit[2]). Deinde in patriam redux per aliquod tempus Dresdae in Georgii ducis aula commoratus est et anno 1522 denuo Academiam Lipsiensem petiit, ubi ad rerum divinarum ac juris civilis studia se convertit[3]). Accedit quod anno 1524 et Mosellanus amicus et Caesar pater

---

[1]) l. c. pag. 207 et not. 2.

[2]) Chr. Gottfr. Mülleri. rectoris Cizensis, oratio de meritis Julii Pflugii de anno 1812 pag. 6.

[3]) epist. Pflugii ad Eoban. Hessum, (Lipsiae non. Jan. 1523) apud Ackerum narrat. brev. de Julio Pflugio pag. 156 sqq.

Digitized by Google

morte ei ereptus est[1]) et illi moribundo Pflugium adstitisse ipsum[2]) locupletissimum habemus testem.

Quam discrepantiam nuperrime Jansen[3]) ita conciliandam putavit, ut contenderet, Pflugium anno 1519 ad tempus plurium hebdomadum vel mensium patriam reversum eodem anno Italiam rediisse et quum in itinere Zwiccaviam venisset ibidem Agricolae hospitem in Haloandrum ejus discipulum incidisse juvenemque tantopere adamasse, ut secum Bononiam duceret. Hoc quidem verum est, Pflugium anno 1519 Misniae ad canonici dignitatem esse provectum et per hanc occasionem suos visendi gratia Pegaviam, ubi tum habitabant, adiisse[4]). Reliqua autem conjecturis tantum contineri videntur, quum nec Mosellanus l. c., nec Conradi[5]), ad quem praeterea provocat Jansen, de Pflugii in Zwiccaviam degressu quidquam tradiderint. Etiamsi autem haec vera sint, non minus impugnanda erit eorum opinio, qui Haloandrum anno 1519 vel sequenti primum in Italiam iter fecisse ajunt. Enimvero anno 1521 Nostrum Academiae Lipsiensis civis factus est, ut ex regestis publicis de intabulandis studiosis illius anni habitis patet. Duae nimirum exstant ex illo tempore Matriculae, quarum altera apud iudicium academicum, altera in bibliotheca Scti Pauli asservatur, quae tamen ita inter se concordant, ut una ex altera quo-

---

[1]) Acta Rectorum ed. Zarncke pag. 5 et 4, ubi de Caesaris Pflugii morte in margine legitur: qui obiit feria sexta post Michaelis ai etc. 24, mortuus in lecto inventus.

[2]) Pflugii oratio funebris in mortem P. Mosellani, ed. Müller, Cizae 1798 p. 22 sqq.

[3]) l. c. pag. 24.

[4]) epist. Mosellani ad Pflugium d. d. 8. Dec. 1519 apud Löscherum, acta reform. III. p. 242. sq.

[5]) parerga, (vita Haloandri IV—XIV.) Helmst. 1735. opusculum commendatione dignum.

Digitized by Google

vis semestri transcripta videatur[1]). In illo exemplari leguntur pag. 257 sqq:

„Rectoratus Secundus Pauli Dhumei Parthenopolitani, Georgi 1521 — [2]) nacio misnensis — Gregorius Holeander Cigneus 6 dt totum Camiciano“ —

in altero fere omnia ad verbum congruunt excepta exigua in paratitlis discrepantia et si discesseris ab eo, quod nomen Nostri non Holeander, sed, ut mihi videtur, Holoander scriptum invenitur. Nec hanc, nec illam lectionem cum vera prorsus convenire, mirari non licet, quum Haloandri nomen paulo ante, quantum conjicere licet, Agricolae auspiciis inventum et intabulanti rectori plane ignotum fuerit. Quod autem ad verba, in matricula saepissime obvia „6 dt totum“ attinet, dubium non est, summam „6“ ad impensas, quae pro facta inscriptione persolvendae erant, spectare et „dt totum“ id significare, Haloandrum non simplicem supra notatam, quae a studiosis tum exigi solebat, sed majorem seu plenam summam (i. e. 10 gr) persolvisse[3]). Ex apposito nomine „Camiciano“ denique, vel ut in altero exemplo legitur „Camicziano“ apparet, dedisse Nostrum hanc majorem summam non statim facta inscriptione, sed demum rectore Andrea Frankio Camiczensi vel Camicziano, qui per semestre brumale ai. 1522/23 fasces academicos gessit.

Colligendum igitur ex his, Haloandrum ab initio semestris aestivi anni 1521 per biennium saltem Lipsiensem fuisse et si Zarnckii conjectura l. c. vera est, secundum quam solummodo baccalaureatus vel magisterium ambientes plenam illam pensionem

---

[1]) cfr. Zarncke, d. urkundl. Quellen d. Univ. Leipz. B. III, der Abh. der Gesellsch. d. Wissensch. p. 553 f.

[2]) verba, „Georgii 1521“ ab alia quidem manu adjecta sunt, sed cfr. Zarncke l. c. p. 596 (Rectorenverzeichniss. no 224, not. 1.)

[3]) Zarncke l. c. pag. 577 sq. Gersdorf, die Univers. Leipzig in dem ersten Jahre ihres Bestehens S. 19.

Digitized by Google

debebant, semestri hiemali 1522/23 artium baccalaureatum adeptum esse[1]). Nihil autem obstat, quominus Haloander paulo diutius usque ad triennii vel quadriennii exitum Lipsiae permanserit et per hoc tempus in Pflugii amicitiam receptus ao. 1525 ab ipso in Italiam deductus sit. Certum enim est, Pflugium mortuo patre iterum atque iterum Italiam petiisse,[2]) licet de illis peregrinationibus aeque accurata et distincta descriptio ac de primo itinere non ad nos pervenerit. Caeteroquin meminisse juvat, locum illum in praefatione ad Pandectas Noricas, ubi Pflugius Haloandrum „suo sumptu in Italiam duxisse et reduxisse" dicitur, non necessario ita esse accipiendum, ut Pflugius Nostrum in itinere comitem habuerit, sed haud minus apte et ita, ut Pflugius eundi et redeundi copiam illi fecerit. Utcunque est, hoc nobis concedendum erit, quae adhuc de hujus itineris ordine ac ratione divulgatae erant, opiniones rejiciendas esse et Haloandrum jurium scientiae initia ac fundamenta in patria Academia posuisse, ducibus Simone Pistore, praeclarorum filiorum patre et ipso praeclaro, Georgio Breitenbachio aliis. Unde non solum verba, quae loco praefationis citato praeeunt,[3]) optime

---

[1]) His prelo jam subjectis necopinato fides rei nostrae addita est, quum praecl. Zarnckius, qui a me rogatus „librum decanatuum et promotorum in artibus" ex annis 1516 sqq. in scriniis suae facultatis asservatum perlustravit, ad me scripserit: Gregorium Haloandrum Cigneum anno 1522 decano Joanne Nicolao Reibergestio ex Wyhe (i. e. jam semestri aestivo dicti ai.) baccalaureatum in artibus nactum esse.

[2]) Jansen l. c. p. 41. Duas epistolas, ad quas ibi relegat, in bibliotheca Cizensi, a D. Hochio praesule benevole mihi patefacta, quidem inveni; at spes fefellit, inter literas CC plures rarissimas ad Pflugium scriptas, quae ibi asservantur, unam vel alteram nostri Haloandri repertum iri.

[3]) „ — alter vero (sc. Pflugius) praeterquam quod primus mihi auctor extiterit juris civilis capessendi et mirabiliter hoc studii genus propter tot salebras .... initio aversantem ... spe meliorum retinuerit, postea .... suo etiam sumptu in Italiam ducere et reducere non dubitavit."

Digitized by Google

illustrantur, sed etiam quod alioquin fere incredibile videretur, Haloandrum juvenem tam subtile studiorum genus summa cum laude in Italia paucis annis absolvisse, miraculosi specie aliqua ex parte destituitur.

At aliud quid addere liceat.

Conradi[1]) memorat, senatum Zwiccaviensem studia Haloandri munifica stipendiorum largitione adjuvisse, cujus beneficii gratam memoriam testatum esse Nostrum nitido Novellarum volumine oblato. Inspexi hunc librum in bibliotheca Zwiccaviensi hucusque superstitem, sed praeter verba dedicatoria auratis literis titulo inscripta, quae Conradi accurate recenset,[2]) nihil invenio, quod Haloandri personae ejusque vitae lumen afferat. Majoris tamen momenti nobis esse videbatur, qui ad nos perlatus est rumor, apud senatum Zwiccaviensem acta asservari ad stipendiorum illorum administrationem spectantia, praesertim quum ex Herzogii Chronica Zwiccaviensi tom. II pag. 144 cognoverimus, unum ex his stipendiis a D. Schurtzaufio anno 1484 fundatum studiosis destinatum esse, qui in Italiam profecti ibi ad literarum studia incumbere vellent. Spes nobis erat, fore ut ex actis illis de nomine vero ac nativo Nostri, qua in re scriptis testimoniis caremus, certa ac genuina notitia hauriri posset. Licet enim hucusque Hauboldo duce inter omnes fere convenerit Haloandri nomen gentilicium „*Hofmann*“ non ut Nopietschius[3]) et ante eum Hausfritzii censor[4]) putabat „*Salzmann*“ fuisse, ingenue fateor, nec hanc nec

[1]) l. c. § III, pag. VII.

[2]) SENATUI ZWICCAENSI GREG. HALOANDER IN TESTIMONIUM GRATI ANIMI D. D. — Ex catalogo biblioth. apparet, Haloandrum suarum Pandectarum simile exemplar senatui transmisisse, quod tamen iam dudum amissum est.

[3]) Fortsetzung des Nürnberger-Gelehrten-Lexikon B. VI S. 19.

[4]) Acta eruditorum de anno 1736 p. 507.

Digitized by Google

illam conjecturam mihi arrisisse, quum haec grammaticis regulis, in quibus Noster Graecarum literarum gnarissimus vix peccaverit, altera autem notione metaphorica verbi ἅλως[1]) innixa justo longius arcessita videretur, praesertim quum aptissima translatio a verbo αὐλή petita non defecisset. Videbatur potius, si, ut par est, in verbo ἅλως subsistamus, alia versio ex propria ejus notione „*Tenne*" derivanda multo simplicior ac commendatione dignior, ita ut nomen „*Tennemann*" suspicari auserim.

Perlustratis vero illis actis, quae nobis communicata sunt,[2]) sententiam nos mutasse, non dissimulamus.

Primum in actis de administratione illius stipendii Schurtzaufiani habitis de anno 1854 sqq. exemplum a manu Cl. Herzogii probata transcriptum authentici instrumenti exstat de fundatione illius stipendii, ubi missis aliis ad rem nostram non spectantibus fol. 16 sq. haec leguntur:

Stiftungsbrief des Schurzauf'schen Stipendiums v. J. 1484.

Wir hiernachgeschriebene mit Namen Andreas Gaudenhöfer, Bürgermeister, Hans Meltzer, Thomas Filberer, Hans Federengel, geschworne Rathmänner dieses Jahres der Stadt zu Zwigkow bekennen vor uns unsere Erben und Nachkommen eintrechtiglich ungehundert und thun kund öffentlich mit diesem Brieffe vor jedermaniglich. Nachdem der Würdige und Achtbare Magister Gregorius Schurtzuff, Thumdechant Paul Georgen Kirchen zu Altenburg, der etwa lang unser Pfarrer und Seelwart gewest ist etc.

---

[1]) *Der Hof um den Mond.* cfr. Stephanus thes. ed. Hase et Dindorf.

[2]) Viros Cygneos doctissimos, quos propterea adii, inprimis praecl. Ed. Flechsigium insignem mihi hac in re praestitisse benevolentiam gratissimo animo profiteor.

Digitized by Google

mit freyem guten wolbedachten Willen sein letzt Gescheft bey uns setzt ordnet und machet, immaassen hiernach folget, Nemlich also, dass er bei uns und auff unser Rathhaus zu getrewer Hand Fünff und Zwantzig Hundert Reinische Gülden legt und überantwortet, die wir fürder auff andern gewissen Städten oder wie wir allernützlichst erkennen, anlegen, davon dem genannten Magister Gregorien, dieweil er lebet, jährlich hundert Gülden Zinss, und wenn er mit Tode abgehen würde, dann fürder solche Zinse zu ewigen Zeiten fünff geschickten lernhaften Personen, die am Alter über zwantzig Jahre alt und unser Stadt inwohnender armer Bürger Kinder seyn, damit des genannten Meister Gregorien Freunde aus seinem Geschlecht sollen den Fürgang haben, zu jenem Studio gereicht und gegeben werden sollen in Weise und Form wie hier nach berührt wird etc. — Gereden, geloben und versprechen auch hiermit gegenwertiglich und in Kraft dieses Brieffes, dass wir dem genannten Meister Georgien Schurtzuff Thumdechant sein Lebtage alle Jahre und itzliches befunden hundert Gulden Zins uff Walpurgis und uff Sanct Michels Tag, und wenn der genannte Thumdechant verstirbt, das yn Gott lange Zeit geruhe zu fristen, fünff Studenten gemeldten Jahrzinss zu yrer Lernung zu ewigen Zeiten reichen und geben, darzu wir aus seinem Geschlechte und von seinen Freunden unserer Mitbürger Kinder, die zu der Lernung geschickt sein, zween oder drey kiesen und sie mit vorbemeldten Zinsen, so lang sie im Studio stehen wollen, des sie vor anderen sollen Vortheil haben, versorgen und halten sollen und wollen. Wenn aber keine geschickte Person vorberürts Geschlechts vorhanden würde sein, so sollen und wollen wir andre unserer Mitbürger Kinder, doch keinen nach Mageschaft, Freundschaft, Gunst oder Bethe, die über zwantzig Jahr alt und sonst unbeerbet und so arm wären, dass sie yre Eltern nicht vorlegen könnten, oder ob der gebrechen, unsern

Digitized by Google

Pfarrer, Prediger, Altaristen, Capellanen und andern Priestern, die studiren wollen, Magister, Bacclarien, Locaten und Schüler unser Schulen, welche wir geschickt darzu erkennen, Kiesen, derer allwege fünff sollen sein, der wir itzlichen besunder zwantzig Gülden ein Jahr zur Steuer und Hülff sollen geben, und so solche fünff Personen Sieben Jahr nach einander in Studio gestanden haben oder indess verstürben, dass sich die Zahl mindert, so sollen und wollen wir von Stund an und inwendig zweyen Monaten andere an yre Statt setzen und Kiesen. Welcher auch von denselbigen Studenten einer oder zwene in Welschland zu studiren ziehen wolten und geschickt weren, dieselben sollen zweyfachen Sold haben und der anderen desto weniger gehalten werden. Und welcher unter ihnen in itzlichem Jahre besunder sein Lernung und Studio einen Monat verseumen aus dem Studio were und nicht fleissig studiren wolte, den oder die sollen und mögen wir aber und in gemeldtr Zeit andere an deren Statt setzen ungeferlich etc. — nach Christi unsers lieben Herrn Geburt Tausend vierhundert und in dem vier und achtzigsten Jahre am Dinstag nach Sanct Franciscen Tag. (L. S.)

Deinde in volumine sub auctoritate sen. Zwicc. habito, annales accepti et expensi ex annis 1522 sqq. continente, haec leguntur, et quidem sub expensis:

I. a die Maurit. ai. 1522—23 (fol. 19).

XVII. Schk. XXX. Grsch. den funff studentibus ader stipendariis Mgro Lasan, Mgro Haynpul, Bacclo Mulpforten, Bacclo Newhmann vnd Bcclo gangolff.

II. a die Maur. ai. 1523—24 (pag. 51).

XXVIII. g. Schk. facit LXXX fl. vff zwei Tagezeiten uts Michaelis Im XXIII. vnd walpurgis Im XXIV. den vir stipen-

Digitized by Google

dariis licent. Cornario[1]), *Bacco Hermann Mulpforten, Bacco Johann Newhmann vnd Bacco Gregorio Meltzer, das funffte Stipendium Ist zu diesem male zu notturfft des enthalts der schule alhiro zu Zwickaw gebraucht wurden.*

III. a die Maur. ai. 1524—25. (pag. 2.)

XXI. Schk. facit LX fl. In zweien Tagezeiten uts den dreyen stipendariis Als Bacco Hermann Mulpforten Bacco Johanni Newmann vnd Bacco Gregorio Meltzer, der andern Zwei stipendien seint zur Notturft der Schulen etc.

IV. a die Maur. ai. 1525—26. (pag. 47.)

XXVIII. g. Schk. facit LXXX fl. den dreyen stipendariis oder versoldten studentibus des Radts Nemlich Bacclo Georgio Meltzer der in welschen Landen stehet vnd Zwifach stipendien hat XL fl. Bacco Newmann zwantzigk Gulden vnd Bacco Hermann Mulpforten XX fl.

V. a die Maur. ai. 1526—27. (pag. 2.)

XXVIII Schk. facit LXXX fl. den dreien Stipendarien oder versolden Studenten des Radts, Nemlich Bacco Gregorio Meltzer XL fl, dieweil der in Welschen landen studirt vnd zwifache stipendien hat, XX fl. Bacco Newmann zehen fl., Bacco Hermann Mulpfort Michael Im 26 vnd X fl. Bacco Mulich seint Ime zum ersten gereicht Walpurgen Im XXVII.

VI. a die Mich. ai. 1527. — Maur. ai. 1528 (pag. 2.)

XXXV. Schk. facit hundert fl. den vier stipendariis oder studenten des Radts Nemlich Gregorio Meltzer Dieweil er In welschen Landen studirt, nach Vermöge der fundation XL. fl., Bacclo Hermann Mulpforten XX fl., Bacco Gregorio Mulich vnd Johanni Newmann XX fl. auff Zwo fristen Michaelis vnd walpurgis.

---

[1]) Janus Cornarius, alter celeberrimus Agricolae discipulus.

Digitized by Google

Denique in tertio Volumine „libello conclusionum“ seu „*Beschlussbuchel*“, quod incipit:

Beschlossen Montags nach Mauricii anno di *XXVI. Gegenwärtig gewest Burgermeister Fr. Hermann Mulpfort, Bürgermeister Fr. Laurentius Bernsprungk, licentiatus Georgius Kommerstet*[1]), *Veydt Reichenbach. etc.*

legitur fol. 7 verso:

Baccalaurei Gregorii Meltzer

Welcher mass sich Bacc. Gregorius Meltzer gegen dem Radt von wegen des gezwiefachten stipendiums, des Im der Radt vf drei Jar lang zv reichen zugesagt, verschrieben, soll man lassen in das Buch[2]) *darin man zeicht, welcher maassen des Radtes gesinde ufgenommen, zeichen.* (sic.)

Si his explanatis Haloandrum nostrum neminem alium nisi Meltzerum illum conjiciamus, haud vereor, ne cui hoc audacius videatur. Praeter hos nimirum, quorum nomina recensuimus, alios stipendiarios ex illo tempore in actis illis non invenimus; multo minus aliquem, qui Haloander, Hofmann, Salzmann, Tennemann vel simili alio nomine appelletur. Quum autem in volumine, secundo loco citato, accuratissima cura ac subtilitate de omnibus erogationibus, quae in civitate Zwicc. tum obvenerunt, ratio reddita sit, mirum et sane incredibile esset, si de pecuniis, quae ad Haloandrum redierunt, nullam mentionem factam putaremus. Accedit, quod in Matricula Lipsiensi per annos 1520—28 Gregorius Meltzer Cigneus inscriptus omnino non legitur[3]), nec Jurisconsul-

---

[1]) Postea Elect. Mauritii et Augusti, Fratrum, consiliarius fidelissimus.

[2]) Nec hunc librum, neque priora volumina actorum ad stipendium Schurtzaufianum spectantia hucusque mihi perlustrare licuit.

[3]) Semestri aestivo 1522 quidem Georgius Meltzer de Kemnitz occurrit, qui autem huc referri nequit, quum neque nomen Georgius, neque urbs patria congruat et

Digitized by Google

tus hujus nominis atque aevi, quantum scio, usquam commemoratur. Quod autem senatus Zwiccav. nomen „Haloander“ non adoptavit, quidquam offensionis habere nequit, quum et Neumannus semestri aestivo 1521 sub nomine Neander in album universitatis Lipsiensis redactus sit adeoque celeberrimus ille Georgius Agricola, ubi in actis supra allegatis ejus salarium pro ao. 1522 (l. c. Fol. 18) expensum refertur, „Georg Bawer“ nominetur. Denique vix opus est, ut demonstremus, omnia quae supra de Haloandro nostro ejusque fatis usque a reditum ex Italia exposuimus, ad Meltzerum illum facillime trahi posse, si tempus tum inscriptionis, tum baccalaureatus, tum in Italiam discessus spectamus; nec mirum est, quod Noster ao. 1523 demum in numerum stipendiariorum receptus invenitur, si ponimus, eum annum vicesimum, qui in instrumento fundationis requiritur, prius non complevisse.

Qua propter Haloandrum sub Meltzero latere etiam tum putaverim, si de ratione, quam Noster in vertendo nomine secutus est, nihil probari possit. Sed neutiquam desunt, quae hac in re nobis succurrunt. Observandum enim est, verba *Meltzer* et *Mältzer*, h. e. is, qui „Maltz“ parat, non nisi sono differre, Graecis autem, ut cerevisiam coquendi artem, ita illud frugum madidarum genus, quod nos „Maltz“ appellamus, fere ignotum fuisse[1]). Ideoque non est, quod miremur Nostrum, quum de nomine illo in Graecum transferendo valde laboraverit, ad evitandas has difficultates quasi ambages inierit atque ad periphrasin confugiendum esse putaverit. Est autem ἄλως (Tenne) non solum area, in qua frumentum teritur, sed quaevis planities ad artificii negotium peragendum adaptata.

---

quum, quod maximi momenti est, teste Zarnckio Meltzerus quidam annis 1518—30 baccalaureatum non adeptus sit.

[1]) Apud Aetium demum sexti saeculi scriptorem βύνη invenitur, quod jam propter raritatem parum aptum erat ad ejusmodi nomen formandum.

Digitized by Google

Qua de causa et is locus eo significari potest ubi cerevisiae decoctores hordeum madefactum expandere solent, ut germinet[1]), ita ut Haloander talem hominem denotare queat, qui in ejusmodi area negotia sua tractat. Qui autem hunc derivandi modum vix minus artificiosum, quam illum supra a nobis reprobatum, vituperet, negligere videtur, illo casu aliam simpliciorem formam in promptu fuisse, quae hoc prorsus deerat.

Sed his conjecturarum lusibus tantum abest, ut nimium ponderis tribuam, ut illud longe gravius mihi videatur, quod non solum gens, sed etiam academia nostra tanto viro cive suo gaudet adeoque jure ac merito repetere nobis licet, quae jam olim Vir praeclarissimus[2]) de solemni loco pronuntiavit:

„Nostras fuit Gregorius Haloander, Zwiccaviensis, sagacissi„mus quondam corruptelarum juris Justiniani explorator, ad quem „omnes omnium gentium jurisconsulti una voce, una sententia „regnum in literis, quae criticam artem spectant, post Cujacium de„tulerunt."

---

[1]) cfr. Campe Deutsches Wörterbuch sub voce „Maltztenne" et „Allgemeines öconomisches Lexikon, Leipzig 1731 bei Gleditsch u. S., ubi pag. 1498 legitur Maltz-Tenne ist in einem Brauhause dasjenige Gemach, wo das eingeweichte Getreide zum wachsen aufgeschüttet und von dem Mältzer oder Brauer behörig gewartet wird.

[2]) Gustavi Haenelii, oratio acad. de praecipuis causis juris in Saxonia exculti. Lipsiae 1853.

Printed in Germany

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google